

*Conventio consulum de Lanerio cum Alexandrinis.*

98

M C X C V I I I.

**A**nno Dominicæ Incarnationis MCXCVIII., ind. I., die Martis VI. exeuntis madii, in campis Ancisæ. Petrus Bonus, Mainerdus Serentus, Enricus de Coxano Consules de Lanerio promiserunt Domino Vermo Potestati Alexandria, & Domino Alberto Potestati Astensi nomine communis Alexandria, & Astæ &c. salvare, & defendere, & quoties homines Alexandria, & Astæ mandaverint eis, ut veniant in eorum expeditionem debent eis mittere triginta novem pedites, & duos milites suis expensis &c. Item si Alexandrini, vel Astenses fuerint in terris Lanerii in expeditione, homines Lanerii dabunt eis mercatum, & nominatim ad Ancisam, & ad Montem Barucium, & ab hodie in antea non dabunt mercatum, nec auxilium hominibus Montis Barucii, & Ancisæ, nec hominibus Marchionis Montisferrati, vel Quarterii Alexandria, & Astæ, donec guerra duraverit, exceptis illis, qui habent terras in Lanerio, quibus liceat eis reddere fructus &c. Item illi, qui sunt vassalli cum Marchione possint adjuvare Marchionem in terra sua, ita tamen &c. & hæc omnia juraverunt &c. salvo jurejurando, quod fecerunt homines de Vingtini. Ad invicem D. Vermus, D. Albertus promiserunt custodire homines Lanerii in Asta, & Alexandria, & circumquaque per quatuor milliaria in Lanerio, & ejus jurisdictione, & res eorum similiter &c. Interfuerunt testes rogati Petrus Canefrus, Vermus Bellatus, Balduinus de Baxano, Teobaldus Vafonus, Rufinus de Riva Judex.

*Fædus Bonifacii marchionis cum civitate Aquensi.*

99

M C X C V I I I.

**A**nno Dominicæ Incarnationis MCXCVIII., die Veneris XII. mensis junii, indictione prima, in loco Valentia Dominus Bonifacius marchio Montisferrati juravit manu sua propria ad sancta Dei Evangelia esse civis Aquensis, & tutator civitatis, & quod ipse debet emere in ejus territorio tantam terram, in qua debet dare quinque centum libras denariorum bonorum Papiensium, quam ipse Marchio non debet vendere, nec infeudare, nec ullo modo alienare. Esse debet ipsa terra emptæ usque ad S. Martinum proximum, nisi quantum remanserit per parabolam consulum ipsius civitatis, per guerram, quam ipsa civitas modo habet cum Alexandrinis, vel per aliam, quam haberet in alio tempore cum Alexandria. Ipse Bonifacius marchio, vel ejus filius debet stare, & manere in ipsa civitate Aquis cum viginti militibus, nisi quantum remanserit per parabolam consulum ipsius civitatis, qui tunc erunt, & si opus fuerit ipsi civitati, ipse Marchio debet ire cum toto suo auxilio, & quod debet facere guerram de tota sua terra Alexandrinis, & omnibus aliis suis inimicis Aquis, & D. Ugonis Episcopi, eo quod debet adjuvare, defendere, & manutenere Aquensem Episcopum, & civitatem, & totum Episcopatum, & quod non debet facere pacem, nec treguam, nec guerram

recretam, nec cum aliis inimicis civitatis Aquis absque parabola eorum. Homines Marchionis citra Tanarum debent jurare adjuvare Dominum Episcopum Aquensem, & totum Episcopatum, & quod Marchio omnia, ut supra legitur, observabit suo posse. Homines citra Tanarum, & ultra, quos Aquenses voluerint, debent jurare, & Consulibus, & communibus civitatis. Ipse Marchio debet dare tantum, quantum ditior domus, quæ sit in Aquensi civitate, & consilium dare consulibus ipsius civitatis bona fide credentiam tenere. Item si aliquis civis Aquensis querimoniam faceret de aliquo, quin moram faciat in terra Marchionis, vel res aliquas ibi habeat, vel per terram ipsius transitum faciat, de quo Aquensis civis justitiam habere non possit, Marchio debet ei denunciare, ut justitiam ei faciat, alioquin res illius, quæ sunt in terra sua Marchio debet saxire, donec Aquensis civis justitiam consequatur. Et de his, quæ pertinent ad Aquense commune, vel ad Aquenses cives per consules Aquenses justitiam faciat, & quod debet eos adjuvare versus Imperatorem, & hæc omnia, ut supra legitur, ipse Marchio observare juravit in perpetuum in præsentia Domini Gulielmi marchionis de Bosco, & Domini Benzoni Causidici, & Guillelmi filii Dodonis de Belexia, & Guillelmi Petri Luponis nunciorum, & procuratorum super his Domini Hugonis Episcopi Aquensis, consulum, & civium Aquensium. Prædictus Dominus Bonifacius marchio hanc cartam fieri rogavit, ut supra. Interfuerunt Dominus Albertus marchio Malaspina, Ferrarius Vicecomes, Rainerius de Grana, Guillelmus Capitaneus, & alii plures rogati testes. Ego Nicolaus S. Palatii Notarius interfui, tradidi, & hanc cartam scripsi. Ego Ubertus Notarius S. Palatii videns, & legens autenticum hujus exempli, sicut inveni, & ita in ipso scripsi. Ego Henricus &c. Ego Petrus &c.

*Deditio Marchionum de Occimiano communi Alexandria.*

M C X C V I I I.

100

**A**nno Dominicæ Incarnationis MCXCVIII. ind. I. die Sabbathi V. julii, in campis Castri Pomarii, ubi dicitur Campagnola, præsentia testium ad hoc specialiter vocatorum, quorum nomina subter leguntur. Dominus Anselmus, & Vermus, & Conradus fratres Marchiones de Occimiano dederunt, & investiverunt nomine recti, & legitimi feudi Dominum Vermum de Pusterla Potestate civitatis Alexandria nomine, & ad partem communis Alexandria, nominative de medietate pro indiviso villæ, & castri Praschi, & totius quod habent in villa, & castro Videxoni, & Trexobii, & Alicis, & Barberii cum omni jure, & jurisdictione, & honore ipsis Marchionibus competentibus in jam dictis locis, & castris, & eorum territoriis, & pedagiis, & cunctis vassallis, & feudis, & fidelitatibus, & pedagiis, quæ habent in ipsis locis, & dominis, qui habitant in prædictis locis, & castris, seu qui feudum in prædictis locis, & castris ab ipsis Marchionibus tenent, & generatim de medietate pro indiviso totius, quod habent, vel habere possunt